

2007 TSJCL  
Latin II Sight Recitation Passage

Ulixēs ubi sēnsit eam timōre perterritam esse, postulāvit ut sociōs suōs sine morā in hūmānam speciem restitueret (certior enim factus erat ā deō Mercuriō eōs in porcōs conversōs esse); nisi id factum esset, sē dēbita supplicia sūmpturūm ostendit. Circē hīs rēbus graviter commōta sēsē eī ad pedēs prōiēcit, et multīs cum lacrimīs iurē iurandō cōnfirmāvit omnia quae <sup>ill</sup> imperāset sē factūram. Tum porcōs in ātrium immittī iussit. Illī datō signō inruērunt. Cum ducem suum agnōvissent, magnō dolōre adfectī sunt, quod nullō modō eum dē rēbus suīs certiōrem facere poterant. Circē tamen unguentō quōdam corpora eōrum ūnxit; quō factō sunt omnēs statim in hūmānam speciem restitūtī. Magnō cum gaudiō Ulixēs amicōs suōs agnōvit, et nūntium ad lītus mīsīt, quī reliquīs Graecīs sociōs receptōs esse dīceret. Illī autem hīs rēbus cognitīs celeriter in domum Circēs sē contulērunt; quō cum vēnissent ūniversī laetitiae sē dēdidērunt.

(Ritchie's *Fabulae Faciles*)